



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XX. De Prioritate Causæ respectu effectûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

causæ, sed solum principium.

III.

*Correlativa
solum sunt,
ea quæ pro-
ducunt &
producentur
naturaliter.*

Ad confirmationem Resp. etiam actum & obiectum esse correlativa, & tamen potest actus aliquis esse obiectum sui, ut constat in hoc actu, *omnis actus intellectus est spiritualis, simplex qualitas &c.* Deinde, distans dicit relationem aliquam ad id à quo distat, & tamen quando idem est in duobus locis, non dicit relationem ullam distantiam ad se. Dices; res ut distans à se dicit relationem ad se formaliter ut distans, seu ad formam per quem distat. Contrà, sic etiam dicere poterit relationem ad se ut productum, seu ad formam per quam producitur. Verum ergo habet dictum illud in productionibus tantum naturalibus, has enim solas novit dicti illius auctor Aristoteles. Reductivè tamen & improprie hinc dici possunt producens & productum correlativa, in quantum scilicet similitudo quædam intercedit illius productionis quæ res una aliam efficit. Aliqui tamen dicunt ad hoc sufficere virtuales distinctionem extremorum, ut numero 1. insinuavi de Rege, & Domino.

IV.

Obj. secundam actionem fore superfluam, cum supponat suum effectum.

Objicies novò; sequi ex nostrâ sententiâ dari formam quæ essentialiter supponat suum effectum formalem prius communicatum. Probatur sequela, hæc secunda actio necessariò supponit rem productam per aliam actionem, ergo præsupponit suum effectum formalem, hoc autem non magis videtur fieri posse, quam ut detur albedo quæ in subiecto præsupponat aliam albedinem, quod ab omnibus censetur magnum inconveniens. Sed contrà, licet enim censetur inconveniens ut detur forma, quæ supponat effectum suum formalem adæquatum, non tamen quæ supponat effectum inadæquatum, quod omnes qui statuunt heterogeneitatem in intentione accidentium (quod præstant plurimi ex adversarijs) admittere debent in albedine & alijs qualitibus, secundus enim gradus albedinis non minus est albedo, & denominat subiectum album quam primus, & tamen naturaliter supponit primum, & subiectum jam esse album.

V.

Tam secundam actionem dat novum effectum formalem, quam secundus gradus albedinis.

Dices primò; secundus quidem gradus albedinis supponit primum, sed tribuit alium effectum formalem, nempe reddit subiectum intensius album. Contrà, etiam hæc secunda actio dat effectum formalem saltem inadæquatè diversum, licet enim sit actio, est tamen diversæ rationis ab alterâ, & potius conservatio quædam illius rei, quam prima produ-

ctio. Imò major esse videtur diversitas inter hanc secundam actionem & primam, quam inter primum, & secundum gradum albedinis.

Dices secundò; secundus gradus albedinis supponit primum solum naturaliter, unde per potentiam absolutam potest esse sine illo: at verò hæc secunda actio ita essentialiter supponit primam, ut nec divinitus existere sine illâ possit. Contrà primò, si in naturalibus detur forma, quæ connaturaliter semper supponit suum effectum, saltem inadæquatum, quidni divinitus dari aliqua poterit, quæ effectum suum formalem inadæquatum supponat, etiam in ordine ad potentiam absolutam?

Contrà secundò, ab omnibus admitti debere videntur formæ aliquæ quæ ita effectum suum inadæquatum supponat, ut eo non præsupposito, nec divinitus existere possint. Ex. g. effectus adæquatus unionis inter animam & corpus est reddere partes illas essentielles hominis peculiari modo intimè sibi invicem præsentem, in ordine ad unum compositum constituendum, & operationes sensitivas eliciendas, & tamen ita per duas ubicationes has partes intimè sibi invicem præsentem supponit, ut ubicationibus illis non suppositis, existere unio non possit, nec divinitus. Idem est in opinione statuente figuram esse modum ab ubicationibus distinctum, collocantem certâ ratione partes in ordine ad se permanentem, qui tamen modus sine ubicationibus idipsum inadæquatè præstantibus produci nequit. Quod etiam de subsistentiâ totali, si sit modus, dici similiter debet.

Quòd verò effectus formalis hujus secundæ actionis sit inadæquatè diversus ab effectu formali primæ, probatur, licet enim utraque sit productio, alio tamen modo producit rem secunda quam prima, & per modum potius conservationis quam primæ productionis. Deinde, actio non solum respicit terminum sed agens, unde licet ex parte termini nihil appareret diversum in effectu formali unius actionis ab effectu formali alterius, sufficeret tamen ad illius possibilitatem diversitas effectus formalis prout respicit agens. Cum itaque secunda actio denominet rem illam exercentem quasi potestatem quandam supra seipsam, quod non facit prima, habet effectum formalem inadæquatè ab illâ distinctum, & sufficientem ut super naturaliter ejusmodi actio poni possit.

DISPUTATIO XX.

De prioritare causa respectu effectus.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa prioritatem prænotantur.

I.

Prioritas triplex. Temporis. Rationis.

Natura.

Prioritas quoad præsens, triplex est: temporis, ut pater in creatis est prior tempore filio, dispositiones formæ, si ultimam exceperis: rationis, cum scilicet in re realiter eadem conceptus varios distinguimus, ubi universales semper sunt priores, quia simpliciores: invenitur tamen nonnunquam prioritas rationis inter prædicata quorum unum non latius patet altero, ut in Divinis intellectio est ratione nostrâ prior volitione, immutabilitas æternitate. Tertia demum prioritas est *prioritas naturæ* quando sc. unum verè pendet ab alio, quam prioritatem præcipuè hic declarandam suscipimus.

Aliæ duæ numerantur à Philosophis prioritates, nempe *prioritas subsistentiæ consequentiæ*, & *prioritas originis*: illa est, cum aliqua duo non se habent convertibiliter in subsistentiæ consequentiâ, seu quando non valet mutua consequentiâ utriusque ad se invicem, sed solum unius ad alterum, non è contrà: id autem à quo non valet consequentiâ, est hoc sensu prius. Hæc non est propria prioritas, cum hac ratione terminus sit prior actionis, qua producitur, valet enim, est hæc actio, ergo hi terminus, non è contrà, est hic terminus, ergo hæc actio, cum per aliam actionem produci idem terminus possit. *Prioritas originis* (quam S. Thomas & Theologi communiter ordinem potius quam prioritatem vocandum asserunt, nobisque ex principijs fidei innotescit) est dum Pater æternus producit Filium, cum omnimodâ tamen simultate temporis & naturæ unde non refugiunt Theologi dicere

dicere Patrem æternum esse priorem origine Filio, utpote à quo Filius verè procedit.

III. Ulterius prioritatem dividunt aliqui in prioritatem in quo & à quo. Prioritas in quo est cum duo in eodem instante reali ita existunt, ut unum dependeat, & accipiat esse ab alio, tanquam ab influente, non è contrà, saltem de facto; unde præbetur fundamentum intellectui concipiendi unum non concepto altero, ut solem non conceptà luce; licet autem etiam concipi possit lux non concepto sole, lux tamen non est prior sole prioritate in quo, quia sol non accipit suum esse à luce tanquam ab influente in solem.

IV. Prioritas verò à quo est id à quo aliquid quomodocunque accipit suum esse, sive id à quo illud accipit, existere sine illo possit, sive non. Sic actio dicitur prior termino prioritate à quo, esto sine hoc numero termino esse omnino non possit, cum sit motus illius. Omnis itaque causa est prior à quo suo effectu, quia effectus ab illà pendet, & esse suum ab eà accipit. Imò Pater æternus dicitur aliquo modo prior Filio prioritate à quo, cum Filius ab eo verè producat, non tamen debet dici prior naturà Filio, cum hoc sonet esse unam naturam alià priorem; in Divinis autem unicà tantum est natura.

V. Quæres ad prioritatem naturæ propriè dictam, quid requiratur? Resp. tria hæc requiri: primò, ut id quod est naturà prius alio, det ei esse, seu verè in illud influat. Ratio est, quia prioritas naturæ imitatur prioritatem temporis, unde sicut in prioritate temporis est successio quædam quoad durationem, ita hic esse debet quædam consecutio quoad naturam, seu ut unum physicè in aliud influat.

VI. Secundum ad prioritatem naturæ requisitum est, ut id quod producit sit ab eo quod producit distinctum realiter in naturà, seu essentià. Hoc ex ipsa notione nominis colligitur, esse enim naturà prius re aliquà, est habere naturam illà priorem. Quo titulo, ut suprà dixi, excludunt Theologi prioritatem naturæ è Divinis; licet enim duæ ibi personalitates producantur, cum tamen natura in omnibus tribus Personis sit numero eadem, nec Pater Filio, nec Pater simul & Filius Spiritu Sancto priores in naturà esse possunt.

VII. Tertiò ad prioritatem naturæ requiritur, ut id quod producit, sit à re productà independens. Sed quia independentia hæc, quanta esse debeat, non satis inter auctores convenit aliis majorem statuentibus, aliis minorem, ad rem hanc declarandam statuat sectionem sequentem.

SECTIO II.

Quæ independentia requiratur ad prioritatem naturæ. Vbi an detur dependentia à posteriori.

I. Recentiores aliqui naturæ prioritatem inter causam & effectum constituunt in dependentià effectus à causà, cum omnimodà independentià causæ ab effectu, seu in dependentià, ut aiunt, cum independentià. Unde, inquiunt, si causa ullo modo dependeat ab effectu, tollitur conceptus prioritatis naturæ, & tam effectus influet in causam, quam causa in effectum.

II. Hæc sententia, quamvis eruditè à suis auctoribus explicetur & illustretur, mihi tamen nunquam placuit: antequam tamen eam impugnem.

III. Notandum, independentiam, sicut & dependentiam, triplicem esse; ab antecedente, concomitante, & consequente, seu à priori, simultaneo, & posteriori.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Triplex hac independentia Deo, perfectissimè con- venit: independentia à priori; nullam enim habet causam sui: à posteriori & concomitante; ita enim creaturas producit, ut eas liberrimè producat, & earum existentià nullo modo indigeat. Res aliæ creaturæ cum sint, à suis quæque causis singulæ, à Deo omnes à priori dependent. Quædam etiam, à rebus creatis à concomitante pendent, ut duæ partes minimi naturalis, ex quibus neutra aliam producit; quædam à posteriori, ut mox ostendam.

Impugnatur itaque sententia jam relata, & probatur prioritatem naturæ non consistere in dependentià effectus à causà, & in independentià omnimodà causæ ab effectu, sed solum in independentià illius à priori, seu ab effectu tanquam ab influente. Causa completa necessaria, seu cuius omnibus ad agendum requisitis, est naturà prior effectu, sed causa completa necessaria est dependens ab effectu, ergo prioritas naturæ non consistit in independentià causæ ab effectu. Major ab omnibus admittitur; causa enim completa est vera causa effectus, ergo prior naturà illo. Consequentia est evidens. Minor probatur, tunc aliquid ab alio dependet, quando naturaliter, multò magis quando divinitus non potest esse sine illo, sed causa necessaria completa, seu proxima, quæ nimirum omnia habet ad agendum requisita, non potest esse sine operatione, & effectu, ergo. Minor hæc probatur, si causa necessaria positus omnibus ad agendum requisitis possit non operari, ergo est causa libera, hæc enim est causæ liberæ definitio.

Dices; causa saltem secundum se manere potest sine effectu, ignis ex. g. sine calore quem producit licet in illis circumstantiis, seu quando est omnino proximè paratus ad comburendum, non possit. Contrà, causa necessaria proxima ut proxima, seu ut completa ad operandum, & ut in illis circumstantiis, est prior naturà effectu, & vera causa illius; imò, eam non causat nisi quando est completa, sed tunc non potest non operari, nec esse sine effectu; Deus enim alio modo eam ab operando impedire non potest, nisi tollendo aliquid ad operandum necessarium, ut materiam applicatam removendo, subtrahendo concursum suum, aut aliud hujusmodi, ergo. Et hoc est quod dicunt Philosophi causam ab effectu dependere à posteriori.

Secundò idem ostenditur in causà liberà proximè ad operandum expedita. Voluntas Petri est libera in instante A ad amandum & non amandum, seu ad efficiendum amorem & liberam illius omissionem, ergo pro aliquo priori est indifferens ad causandum utrumque, & est prior illis; sed non potest utroque in illo instante carere, cum sint contradictoria, ergo potest aliquid esse prius naturà illo, seu illius causà, quo non potest carere, sicque ab illo à posteriori dependet, nempe à suo effectu.

Tertiò, hoc idem probatur in punctis, & aliis unionibus quæ secundum multos reperiuntur in continuo, & aiunt subjectari in partibus, quod certè videtur probabile, ne quoties duæ aquæ, aut partes aëris, & alia hujusmodi (quod momentis propè singulis contingit) uniuntur, confugere ad Deum cogamur, ut uniones illas creet. Et tamen partes in illà sententià non possunt, nec per divinam potentiam persistere sine unionibus, alioqui continuum divideretur simul & permanenter in omnes suas partes, ergo potest aliquid dependere essentialiter ab eo quod est illius effectus, seu ab aliquo quod est illo naturà posterius, sicque à posteriori. Et idem est de ubicatione, quam res omnes producunt, dum se de loco ad locum movent, & tamen sine omni ubicatione esse res nulla potest, vel divinitus, ut ostendam d. 33. sec. 4.

B. b.

Dicen.

dependet ab effectu à posteriori

IV.

Causa inordinata dependet ab effectu à posteriori

V. Causa necessaria proxima est prior effectu sine quo tamen esse nequit.

VI.

Dependentia à posteriori clarior constat in causà liberà.

VII.

Dependentia etiam habet cornitur in unionibus continuatis.



VIII. Dependens tantum ab alio tanquam ab influente obstat prioritati naturæ.

Dicendum itaque, non quancunque dependentiam obstat prioritati naturæ, sed dependentiam tantum à priori seu tanquam ab influente. Unde quantumvis causa completa necessaria, ignis ex. g. existere non possit, quin effectum, seu calorem producat, & ita ab illo dependeat, ut nisi effectus sequatur, tolli aliquid debeat in causâ, ut ostensum est, adhuc ignis est prior naturâ calore. Licet enim, quoad existentiam in ratione causæ completæ; tamen non possit ignis existere sine calore; quàm calor sine igne, calor tamen à priori ab igne pendet, seu tanquam ab influente; ignis verò à calore non nisi à posteriori; & tanquam ab effectu: non enim pro illo priori intelligitur calor quò ignis est proximè potens ad producendum calorem; seu tanquam aliquid antecedenter ad operationem ignis requisitum, sed tanquam physicè in illo instante subsequens; seu ab igne productum.

IX. Arist. prioritatem naturæ statuit cum dependentiâ à posteriori.

Hac videtur esse clara mens Aristotelis; ipse enim existimavit Deum necessariò res aliquas extra se fundere, quem tamen verè causam rerum & naturâ priorem esse ubique affirmat. Et licet erraverit constituendo Deum necessariò ad extra operantem, ex eo tamen quòd Deo hac in re tribuit, apertè docet dari dependentiam à posteriori, sicque solam dependentiam à priori, seu tanquam ab influente tollere rationem prioritatis naturæ.

X. Vterius declaratur mens Aristotelis circa prioritatem naturæ.

Hoc ergo sensu intelligendus est Aristoteles 5. Met. c. 11. ubi ait, ea omnia esse naturâ priora, quæ ejusmodi sunt ut sine aliis esse possint, non item sine eis illa: intelligi, inquam, debet, effectum debere à causâ pendere tanquam ab influente: si enim loquatur de quacunque dependentiâ, tam non potest causa completa necessaria esse sine omni effectu, quàm effectus sine omni causâ. Sicut autem causa potest esse sine hoc vel illo effectu in particulari, ita similiter effectus sine hac vel illâ causâ. Hanc autem esse mentem Aristotelis suadet ex eisdem modis simul, ubi ait ea dici simul naturâ, quorum alterum nullo pacto causa est ut alterum sit: per causam autem intelligit communiter Aristoteles principium influens ut supra vidimus in explicatione definitionis naturæ ab ipso assignatæ, ergo sensit Aristoteles, non quancunque dependentiam, sed dependentiam per influxum tollere rationem prioritatis naturæ strictè sumptæ.

SECTIO III.

Solvuntur objectiones contra dependentiam à posteriori, & quedam inseruntur.

I. Obj. Dependens à posteriori est res ipsa ab influente.

Objicies primò, si causa dependeat ab effectu, quantumcunque dicatur id esse tantum à posteriori, res ipsa tamen est à priori, & ab influente, influere enim rem unam in aliam nihil aliud est quàm hanc ab illâ dependere, ergo tam effectus influit secundum nos in causam, quàm causa in effectum.

II. Resp. non esse idem, unum ab alio dependere, & hoc in illud influere.

Sed contra, nam certum videtur non esse idem, unum ab alio dependere, & hoc in illud influere: primò enim secundum omnes, dantur merè conditiones, ut approximatio, & similes; quæ omnino non influunt. Secundò, duæ partes minimi naturalis in elementis, vel saltè cor & cerebrum in animalibus perfectis, à se invicem pendet, quorum tamen neutrum in alterum influit. Tertiò, actio suo modo influit in terminum, à quo tamen vicissim essentialiter dependet, & tamen nec ipsi adversarij dicent terminum illo modo influere in actionem, ergo tanquam res indubitata in confesso apud omnes est, non esse idem hoc ab illo dependere, & illud in hoc influere. Quintò, jam ostensum est causam completam tam

necessariam, quàm liberam essentialiter dependere ab effectu.

Contra quintò; Pater in Trinitate verè dependet à Filio; & tamen certum est Filium non influere in Patrem; nec dare esse seu producere Patrem, sicut Pater dat esse & producit Filium. Hinc ergo manifestè habetur non esse idem, unum ab alio pendere, & hoc in illud influere, sed esse conceptus essentialiter diversos, ergo & in creatis potest causa pendere, etiam essentialiter, ab effectu tanquam ab aliquo posteriori, absque eo quòd effectus influat in causam. Quare autem non detur prioritas naturæ in Divinis, dixi sec. primò.

III. Idem clarè ostenditur in Divinis.

Objicies secundò; hoc esse mysterium Trinitatis, nec in res creatas inducendum. Resp. nihil hic esse mysterij, nec in eo sitam esse difficultatem Trinitatis, quòd Pater Filium producat, à quo tamen essentialiter dependet, sed quòd eadem indivisibilis entitas, una sit, & Trina. In hoc, inquam, caligat ratio, utpote, quod contrarium videtur principio illi vel oraculo Metaphysico, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: quod proinde assequi nunquam potuit Aristoteles, cum tamen secundum assequutus sit, ut vidimus.

IV. Nec in hoc situm est ullum mysterium.

Quæres, quid ergo est influere? Resp. quidquid sit, certum videri non esse merè quòd unum dependeat ab alio; ut jam ostensum est in actione, & dependentiâ Patris à Filio in Divinis, qui tamen in Patrem nullo modo influit, & Pater, ut est de fide, verè producit Filium, licet à Filio essentialiter dependeat. In hoc ergo explicando par omnibus est difficultas. Influire itaque est actionem productivam ad aliquid sequi, quod vel formaliter, vel eminenter rem jam à parte rei positam continet; quam proinde causa totalis in perfectione vel superat, si sit causa æquivoca, vel adæquat, si sit univoca.

V. Quid sit unum influere in aliud.

Hinc infero primò, omnia quæ se tenent ex parte causæ in actu primo constitutæ in ordine ad causandum, posse aliquo modo dici naturâ priora effectu: licet enim omnia non influant (ut conditiones) tenent tamen se ex parte causæ, & aliquo modo requiruntur ut causa operetur: unde aliquo modo integrantes causam in ratione causæ saltè ut aliqua necessariò prærequisita ut causa agat, & prodeat in actum secundum.

VI. Omnia ex parte causæ in actu primo sunt priora naturâ effectu.

Infero secundò; actionem, aliquo modo, quamvis minus propriè, esse naturâ priorem termino, prioritate à quo: licet enim non possit esse sine hoc numero termino, & hoc sensu magis pendeat à termino, quàm terminus ab illâ (cum illâ mutatâ, permanere possit adhuc idem terminus) independentiâ tamen per modum influxus, quæ maximè obstat prioritati naturæ, non pendet actio à termino, sed tantum à posteriori, & ut ab aliquo per actionem causato; terminus verò dependet ab actione à priori, tanquam à causalitate agentis, estque ipse influxus, quo causatur & producit effectus. Constat ergo prioritas naturæ in dependentiâ effectus à causâ per modum influentis, & in independentiâ causæ ab effectu in eadem ratione. Cum ergo actio sit ipse influxus, pendet terminus ab eâ à priori ut quo, à causâ, à priori ut quod, sicque causa est naturâ prior effectu ut quod, actio ut quo, licet non ad eò propriè, ut dictum est.

VII. Actio est prior termino prioritate à quo.

Infero tertio, triplici prioritati supra positæ, temporis, rationis, & naturæ, triplicem respondere similitatem: temporis, cum scilicet duo eodem tempore producuntur, ut sol & lux, intellectus & voluntas. Rationis, cum aliqua duo necessariò cognoscuntur simul, ut dici communiter solet de relatione & termino, privatione & formâ, actione & effectu &c. Tertia est similitas naturæ, quando scilicet aliqua duo sunt

VIII. Triplici prioritati triplex respondet similitudo.

sunt à se invicem omnino quoad influxum independentia, sese tamen naturali quadam consequentia comitantur, ut relationes paternitatis & filiationis.

ad quem producendum simul concurrunt. Imò aliquando contingit aliqua duo esse priora naturà respectu alicujus tertij, quorum tamen alterum sit prius naturà respectu alterius, & vera illius causa; ut anima est prior intellectu, & verè illum causat in sententiâ potentias distinguente ab animâ, anima tamen & intellectus sunt priora naturà respectu intellectationis ab utroque productæ. Idem est de oculo & specie impressâ, in eo receptâ, respectu visionis, & sexcentis hujusmodi.

Disputatur hic à multis, utrùm causa in actu primo includat actionem. Hac de re dixi suprâ d. 3. f. 2. n. nono.

X.

DISPUTATIO XXI.

De mutuâ prioritate.

SECTIO PRIMA.

Utrum causa possint esse sibi invicem causa.

I. Prima sententia est affirmativa: ita Vasq. 1. 2. d. 211. c. 3. n. 11. & c. 4. n. 25. & fusè c. 6. Suar. d. 27. Met. sec. 2. n. 4. & 5. Conimb. 1. 2. Phys. c. 7. q. 9. a. 2. Ruvius 1. 2. Phy. tra. 8. q. 2. & alij, saltem quoad causalitatem in diverso genere.

II. Secunda sententia negat posse causas esse sibi invicem causas, sive in eodem, sive in diverso genere: ita Erice 1. p. d. 16. c. 12. n. 101. Hurt. d. 8. Phy. sec. 8. n. 158. Arriaga d. 7. Phy. sec. 8. n. 96. & 102. Oviedo con. 7. Phy. p. 8. n. 3. & p. 9. n. 4. estque communis inter recentiores opinio.

III. Notandum primò, quæstionem esse de eodem instante reali, nam de diversis instantibus, seu successivè, non videtur dubium: nil enim repugnare videtur quin ignis B qui in instante A productus fuit ab igne A, postea in instante C conservet ignem A, à quo primò fuit productus, modò tamen in illo instante ignis B aliunde conservetur, & non ab igne A.

IV. Notandum secundò, sermonem esse de causis physicis physicè influentibus, ut de efficiente & materiali, non de intentionalibus, seu quæ operantur in quantum sunt in mente, & apprehenduntur, quales sunt causa finalis & exemplaris; hæc enim sicut non requirunt omnino existentiam ad causandum, ita, ut in apprehensione seu esse intentionali, possunt esse causa sui in esse physico, id est, possunt mente conceptæ movere causam efficientem, ut eas producat, & acquirat, ut de agricola semen terræ mandante, & aliis constat.

V. Dico primò: inquam finalem & efficientem non repugnare quominus sint sibi invicem causæ, ut deambulatio est causa valetudinis, & valetudo deambulationis, finalis valetudo, deambulatio efficiens. Hoc & nihil aliud vult Aristoteles 1. Phy. c. 3. tex. 30. dum ait: *sunt præterea, quæ mutuò sunt sibi causæ ut exercitium est causa bonæ valetudinis, & hæc causa exercitij, at non eodem modo, sed hæc ut finis, illud ut principium motus.* His, inquam, verbis solum astruit Aristoteles mutuam prioritatem, & dependentiam inter causam finalem, & efficientem, quarum illa est prior in intentione, seu ut apprehensa, hæc in executione, seu physice. Cùm ergo nullius alterius causæ adhibeat exemplum Aristoteles præterquam finalis, &

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

efficientis, dum dicit causas esse sibi invicem causas, intelligi solum debet loqui de causâ finali, & efficiente: per quod solvitur quiddam afferunt contrarij de auctoritate Aristotelis.

Dico secundò: non possunt duæ causæ invicem se primò producere, seu dare sibi primum esse. Ita P. Hurt. hic d. 8. f. 8. n. 158. & alij citari n. 2. Ratio est primò, quia si utraque sit causa sui invicè, ergo sunt priores sibi naturâ, cùm juxta Aristotelem & Philosophos, causa semper sit naturâ prior effectu, sed non possunt esse invicem priores naturâ, ergo. Probatur minor, prioritas naturæ, ut suprâ vidimus ex Aristotele, in eo sita est, ut id quod est prius naturâ altero, sit independens ab illo à priori, seu ut ab influente, sed hoc consistere nequit si effectus in illud vicissim quoad primum esse influat, ergo.

Secundò probatur, prius est esse quàm operari, ergo prior est ignis A actione quâ producit ignem B, ergo à fortiori est prior actione profuente ab igne B, cùm entitas ignis B sit prior causalitate ab ipsâ procedente, sed nullus effectus potest esse prior causalitate quâ producit, ergo non possunt duæ causæ esse sibi invicem causæ, quia tunc sequeretur unamquamque priorem fore causalitate, quâ producit, cùm debeant esse priores sibi invicem ut operantibus, & consequenter prius operarentur quàm essent, cùm prius operarentur quàm producerentur, si essent priores actione quâ producuntur.

Dices; probare hæc, non posse causas esse sibi invicem causas in eodem genere, duas ex. g. causas efficientes, non tamen in diverso, ut causam efficientem & materialem. Contrâ, tam probant contra mutuam causalitatem in diverso genere, quàm in eodem; nam esse prius in quocunque genere causæ, est esse aptum ad agendum, ergo præsupponitur esse ante illud quod producit, ergo ante illius causalitatem, ergo non accipit primum esse per causalitatem ab illo profluentem, nam alioqui non præsupponeretur ad illud, ergo idem est de quocunque genere causæ.

Urgebis, cùm causæ in diverso genere causæ se producant, dant sibi diversum esse, ergo quoad unum esse potest causa efficiens præsupponi ad materialem, & quoad aliud materialis ad efficientem. Nego antecedens, idem enim & indivisibile esse dant sibi invicem, & à se mutuò accipiunt; quod proinde, indivisibile cùm sit, non potest præsupponi ad causam sui productivam, cùm tunc effectus esset in rerum naturâ prius suâ causâ.

Tertio probatur, & est explicatio rationis præcedentis:

Bb 2

dentis:

VI. Non possunt due cause mutuo se primò producere.

VII. Prius esse debet res, quàm operetur.

VIII. Idem est de diversogenere causæ.

IX. Idem est esse, in quocunque genere causæ producuntur.